



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor  
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum  
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,  
Coordinatus, Seu Omnes ...**

**Diana, Antonino**

**Lugduni, M. DC. LXXX.**

60. An Baptismus sit validus, si conferatur hac forma, Baptizata est, vel  
Baptizatus est in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti: qua forma  
utuntur Chaldæi? Et an in Sacramento Baptismi, ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76393](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76393)

omnium Sanctorum, non est baptizatus, quia nihil debet jungi forma. Ita etiam tenet Archidiaconus in d. cap. si non significatur. Hæc Graffius.

2. Sed hæc sententia, ita absolute prolata, non est vera, non enim semper, ut vult Graffius, additio vitiat formam. Dico igitur distinguendo, cum Bonac. de Sacrament. disp. 2. q. 2. punct. 4. mem. 16. Barthol. ab Angelis in suo exam. confess. dial. 2. §. 116. Suar. tom. 3. in 3. part. disput. 2. sect. 5. Henric. lib. 2. c. 8. n. 2. Coninch. de Sacrament. q. 60. art. 8. dub. 1. num. 70. Summa Corona part. 4. de forma Baptismi, num. 14. Durand. in 4. dist. 3. q. 2. & Paludano q. 1. & Ytbarne in 4. sent. tom. 1. disp. 3. sect. 6. si Sacerdos, sic baptizans intelligit in nomine Beate Virginis baptizare, sicut in nomine Trinitatis, talis sensus est contrarius vere fidei, & per consequens tollit veritatem sacramenti. Sed si addit in baptismo, ut ejus intercessio profit baptizato ad conservandam gratiam baptismalem, non tollitur perfectio sacramenti. Sic D. Thom. in 3. p. q. 60. art. 8. tom. 2. disp. 129. c. 7. n. 107. putat illa verba, in nomine B. Virginis, non esse æquivoca ad utrumque sensum, quem supra diximus ex Divo Thoma, sed semper falsum continere, eo quod illud, in nomine, denotat auctoritatem, neque enim quis dicitur facere aliquid in nomine alterius, nisi auctoris. Hæc namque vox hoc communi usu significat, ac proinde ejus significatio non pendet ex intentione ministri. Hinc Rubeus in Sacram. in 4. sent. disp. 2. valde dubitat de baptismo sub hac forma lato; nam, ait, talis additio, (nempe in nomine B. Virginis) ex se prorsus tollit significationem, ac mutat formæ sensum; atque perinde non obstante ministri legitima intentione, aufert veritatem Sacramenti. Hæc ille, & Pitigian. in 4. sent. part. 1. disp. 3. q. 2. art. 12. sed non recte; nam, etsi verba illa omnia simul sumpta significant errorem contrarium formæ, verba tamen essentialia etiam, ut hic, & nunc proferuntur, tam ex intentione proferentis quam secundum commune Christianorum audientium iudicium, prius tempore, quam illa additio fiat, habent perfectam suam significationem, & consequenter operantur eodem instanti suum effectum, qui per verba subsequencia tolli nequit, qualemcumque hæc errorem significant. Non ergo à communi sententia recedendum, quæ asserit, ut diximus, Sacerdotem conficere sacramentum, etiam si addat formæ Baptismi, in nomine beate Virginis, dummodo per illa verba non intendat baptizare in nomine Virginis, sicuti in nomine Patris, &c. sed tantum executione intendat auxilium beate Virginis baptizato implorare.

3. Ad argumentum verò Jacobi de Graffio respondetur, additionem non semper vitare Baptismum, si non tollat prorsus significationem formæ, quod non accidit ex dictis in nostro casu. Vide Alciat. in l. 1. §. Sed si mihi, num. 6. ff. de verb. oblig. & Gasparum Caballinum in suo milleloquio juris, part. 1. milleloq. 248.

## RESOL. LIX.

Mulier quadam domi puerum baptizavit Italicè, hæc verba pronuncians, Io te battezo, co'l nome del Padre, co'l nome del Figliuolo, & co'l nome dello Spirito Santo, statim à me quaesitum fuit, an sacramentum sub tali forma administratum fuerit validum? Ex part. 2. tract. 17. & Miscell. 3. Refol. 15.

§. 1. **M**artinus Bonacina, vir hujus litteraturæ consultissimus, de Sacram. disp. 2. quest. 2. punct. 4. n. 5. negativè respondet; nam, ait ille, dicendo, in nomine Patris, in nomine Filij, &c. licet exprimitur trinitas personarum, non exprimitur tamen unitas essentialis, quæ in forma baptismi est de substantia. Ergo. Unde si aliquis baptizaret in nominibus Patris, & Filij, & Spiritus sancti, non conficeret Sacramentum; quia illa dictio in nominibus, non importat unitatem essentialis & virtutis, sed potius numerat personas, & relationes. Et quamvis hujusmodi numeratio sit vera, quia tamen unitas personarum in deitate non explicatur, ideo talis forma non est sufficiens. Sic communiter Doctores. Item si aliquis baptizaret, ut olim quadam mulier apud Comitol. in ref. mor. lib. 1. q. 10. sub hac forma, Io te battezo co'l Padre, co'l Figliuolo, & con lo Spirito Santo, invalidum esset sacramentum, quia in his verbis non exprimitur unitas divinæ essentialis. Ergo. Vide etiam Didacum Nugnum in 3. p. tom. 1. q. 66. art. 5. diff. 4. fol. 157.

2. Sed quidquid dicat Bonac. contraria sententia est prorsus amplectenda; nam ut asserit Suar. tom. 3. disp. 21. sect. 3. Coninch. 3. part. q. 66. art. 6. n. 58. & Petr. Cabrera de Sacram. q. 66. art. 5. n. 2. & alij, qui baptizat sub hac forma, Ego te baptizo, in nomine Patris, in nomine Filij, &c. non ideo asserit esse plura nomina: sicut qui diceret in nominibus, sed idem essentialia Dei nomen commune tribus, ter repetit, quod rectè fieri potest absque pluralitate, sicut verè dicitur Pater Deus, Filius Deus, Spiritus sanctus Deus, sed Dij nuncupari non possunt, quia hoc significat naturarum pluralitatem, illud verò minime, quia sunt verus, & idem Deus. Et sic in nostro casu consilium dictum infantem fuisse, & esse verè baptizatum.

## RESOL. LX.

An baptismus sit validus, si conferatur hac forma. Baptizata est, vel baptizatus est in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, qua forma utuntur Chaldaei?

Et an in Sacramento Baptismi, Confirmationis, Penitentiae, Ordinis & Extreme-unctionis exprimentur da sit persona suscipiens ista Sacramenta?

Et an sit certum pronomen illud ego, & dictionem illam Amen, non esse de necessitate Sacramenti?

Et cur sim docetur, quod baptismus datus ab Apostolis in nomine Christi validus fuit, & nunc validus esset, si in eadem forma conferretur.

Et queritur, an baptismus datus in nomine unius persone Divinae, quacumque illa sit, validus sit, dummodo vera fides omnium trium retineatur?

Et an baptismus datus sub hac forma, Baptizo te, in nomine Dei, & Sanctæ Crucis, sit validus?

Et tandem queritur, an sit valida forma baptismi, qua utuntur in Dalmatia, videlicet, Ego te Christiano, seu Christianum facio in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti? Ex p. 10. tract. 16. & Misc. 6. Refol. 92.

§. 1. **H**ac forma in baptizando utuntur Chaldaei, de illa dubitatum fuit Romæ anno 1630. ut patet apud Nazarium, ubi infra. Et invalidum baptismum sic collatum esse patet ex rationibus. Primò, Quia alioqui actus baptizandi non significabitur, quatenus hic, & nunc sit in particulari: quod tamen est necessarium: nam Sacra

Sup. hoc supra vide doctrinam Refol. 4. per totam, & signanter ejus §. 4. & 5.

Sacramentum consistit in actu particulari, qui hic, & nunc fit circa certum subiectum, ut homo intelligat, se hic, & nunc sanctificari. Secundò, quia effectus baptizati non est remissio peccatorum in communi, sed hinc collata: ergo ut Sacramentum significet huic conferri gratiam, & remissionem, debet exprimi persona, cui confertur. Quam ob causam etiam sacramento Confir- mationis, Penitentia, Ordinis, & Extrema-Unionis exprimenda est persona suscipiens. Tertiò, quia baptismus est spiritualis quadam regeneratio: generatio autem requirit distinctionem inter generantem, & genitum; quam distinctionem oportebat exprimi. Et ita docet Divus Thomas in 3. p. quest. 66. artic. 5. ad 4. Valquez tom. 2. disp. 142. Trullench. de Sacrament. lib. 1. cap. 3. dub. 4. n. 6. Prapostus in 3. part. 9. 66. artic. 5. dub. 3. n. 43. Leandrus de Sacrament. tom. 1. tract. 2. disp. 3. q. 7. Martinus de San. Joseph in Mon. Confess. tom. 1. lib. 1. tract. 1. de Baptismo, n. 3. Reginaldus tom. 2. lib. 2. n. 35. Toletus lib. 2. cap. 19. num. 5. Sayrus de Sacrament. lib. 1. cap. 4. art. 4. Sotus in 4. dist. 3. quest. unic. art. 5. Avela de Sacrament. Baptismi, quest. 66. sect. 5. Bonacina de Sacrament. disput. 2. quest. 2. punct. 4. num. 2. Gelvaldus in Theolog. Moral. tom. 1. tract. 3. cap. 5. Surianus de Sacrament. tom. 1. lib. 2. cap. 3. Henriquez lib. 2. cap. 8. §. 4. in Glossa littera K. Bellarminus de Baptismo, lib. 1. cap. 3. Filiucius tom. 1. tract. 2. cap. 3. num. 53. Stephanus à Sancto Gregorio de Sacrament. lib. 3. cap. 12. num. 7. Petrus à Sancto Joseph in Idea Sacrament. cap. 9. resol. 4. Opatavius de Sacrament. tract. de Baptismo, disput. 1. quest. 4. num. 28. Bizzozerus de Sacrament. part. 2. cap. 3. num. 5. Ochagavia de Sacrament. tract. de Baptismo quest. 8. num. 7. Sylvius in 3. part. D. Thom. q. 66. artic. 5. conclus. 3. Bassæus in Flo. Theolog. vers. Baptismi 11. num. 13. Layman in Theolog. lib. 5. tractat. 2. cap. 4. num. 2. Nugnus in 3. part. tom. 1. quest. 66. artic. 5. Barbosa de Porest. Parochi, part. 2. cap. 18. num. 50. Caspensis in Curs. Theolog. tom. 2. tract. 17. disp. 1. sect. 3. num. 23. Escobar in Theolog. Moral. tract. 7. exan. 2. cap. 2. num. 10. Fernandez in Medulla Cas. part. 2. cap. 2. §. 4. num. 3. Martinus Ledelma in prima 4. quest. 7. artic. 6. dub. 5. Petrus Ledelma de Sacrament. tom. 1. cap. 4. consil. dub. 3. Machadus tom. 1. lib. 3. part. 1. tract. 2. document. 3. num. 3. Ludovicus à San Juan in Summa quest. 1. art. 3. de Sacrament. Baptism. dub. 1. diffie. 1. Candidus tom. 1. disquisit. 16. artic. 3. dub. 4. Joann. de la Cruz in direct. conscient. part. 2. de Sacram. Baptismi, quest. 1. conclus. 3. Tannerus tom. 4. disp. 4. quest. 1. dub. 3. num. 86. Valentia tom. 4. disput. 2. quest. 1. punct. 4. Cabreta in 3. part. 9. 66. artic. 5. Baumius in Theolog. Moral. tom. 1. tract. 2. quest. 6. assert. 2. Marcus Senius tom. 1. de officio Parochi disp. 3. diffie. unica, q. 2. num. 5. Raguccius in Lucerna Parochorum de Sacram. Baptism. q. 29. Estius in 4. sentent. distinct. 3. §. 3. Martinon de Sacram. tom. 4. disputat. 23. sect. 3. num. 17. Castrus Palaus tom. 4. tractat. 19. disput. unic. punct. 5. num. 5. Lessius in 3. part. D. Thom. quest. 66. art. 5. dub. 2. num. 18. Uvigers de Sacrament. quest. 66. artic. 6. conclus. 4. num. 26. Senna in 3. part. quest. 66. artic. 5. Merceria de Sacrament. quest. 66. artic. 5. Arajo in 5. part. quest. 66. disput. 5. artic. 1. de Baptismo diffie. 7.

2. Dicendum est itaque, quod ad essentiam, & valorem formæ baptismi necessarium est exprimere personam baptizati, quod constat ex traditione Ecclesiæ, quæ ita intellexit verba illa Mat-

thæi ultimo, baptizantes eos, ut Christus non solum voluerit, quod non baptizati, significati particula, eos, re ipsa baptizentur, sed quod etiam verbis exprimentur: & satis congruenter; & aliàs si persona baptizati non exprimat, actus baptizandi non significabitur, neque denotabitur determinatus in individuo, quia determinatur per personam, quæ baptizatur: sed significabitur, & denotabitur indeterminatus, & indifferens ad hanc & ad aliam personam, & ad personam ipsius baptizati, & ad personam alterius. Quia quamvis persona baptizati sit quæ baptizatur, ea tamen non expressa, nihil in forma profertur, quo actu baptizandi denotetur determinatus: quamvis forma profertur, personam illam baptizando. Concedo quod tamen necessarium est ad essentiam formæ baptismi, personam baptizati exprimere, ut sufficiat eam quovis modo exprimere, sive pronomine, te, sive pronomine, vos, autoritatis baptizati causa, sive proprio nomine demonstrativo, hunc, sive nomine proprio, sive nomine appellativo; in quo Doctores conveniunt.

3. Verùm Joan. Paulus Nazarius ex Ordine Prædicatorum præstantissimus Theologus interrogatus de hoc casu licet nostræ sententiæ superiùs adductæ adhæserit tom. 8. opusc. 3. cas. 2. fol. 338. tamen postea casu 3. conatur talem formam baptismi defendere; sic itaque asserit fol. 342. Dico primò, formas illas, licet verbo præteriti temporis sint expressæ, posse tamen ut veras defendi in eo, aut conlimili sensu, quo veritas defenditur formæ sacramenti Eucharistiæ sub specie panis, quia dicitur: Hoc est Corpus meum, ut enim ait S. Thomas in 3. part. quest. 78. artic. 5. Verba illa virtutem habent factivam conversionis panis in Corpus Christi, & idèò comparantur ad alias locutiones, quæ habent solum vim significativam, & non factivam, sicut comparatur conceptio intellectus practici, quæ est factiva rei, conceptioni intellectus nostri speculativi; quæ est accepta à rebus, & idèò, sicut conceptio intellectus practici non præsupponit rem conceptam, sed facit eam; ita veritas hujus locutionis non præsupponit rem significatam; sic enim se habet Verbum Dei ad res factas per verbum. Hæc autem conversio non fit successivè, sed in instanti; & idèò oportet intelligere prædictam locutionem, secundum ultimum instans prolotionis verborum. Quam doctrinam explicat egregiè Cajetanus in suo Commentario ad dictum articulum, quem alij sequuntur discipuli Divi Thomæ. Similiter ergo dicendum est, verba illa: quibus in baptizandis mulieribus, aut viris utuntur Chaldæi, ut formis, intelligenda esse secundum ultimum instans, in quo terminantur, & in quo baptizato confertur effectus sacramenti; sunt enim verba practica non minus, quàm illa: Hoc est Corpus meum. Igitur secundum illud instans suam habent veritatem.

4. Secundò dico, ex solo textu scripturæ Divinæ Matthæi ultimo clarè non haberi necessarium esse in forma sacramenti baptismi, exprimere personam baptizatum per ejus proprium nomen, aut per pronomen, & multo minus personam Ministri, Sed ex illis Christi Domini verbis, Baptizantes eos, Catholica Ecclesia Divinitus edocta, intellexit in forma sacramenti baptismi, actionem Ministri, & personam baptizati exprimentam esse, ut habetur in Catechismo ad Parochos jussu Pij V. edito ex decreto Concilij Trident. Quam doctrinam Noster Doctor Sanctus Thomas divinè, ut solet, ante Concilium ex-

preferat in sua 2. part. quest. 66. art. 5. & alij Concilio Antiquiores.

5. Tertio dico, nullam me hactenus invenire potuisse alicujus Summi Pontificis definitionem, afferentem, Baptismum nullum esse, si in ejus forma non exprimaturs forma baptizati. Nam licet in titulo de baptismo, & ejus effectu *capite primo*, sic definit Alexander III. si quis puerum in aqua immerferit, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, Amen; & non dixerit: *Ego te baptizo*, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, Amen, non est puer baptizatus; Non tamen affirmat, hæc singula verba esse de necessitate Sacramenti (Certum est enim pronomen illud, *Ego*, & dictionem illam, *Amen*, non esse de necessitate Sacramenti) sed intendit excludere modum illum baptizandi absque expressione actus baptizandi: Unde etiam in Romano Catechismo non reprobatur, sed magis approbatur forma in Ecclesia Græcorum consuetæ, videlicet, Baptizetur servus Christi, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, in qua nec persona baptizantis, nec persona baptizati exprimitur per nomen, aut pronomen aliquod singularem personam à cæteris distinctam significans. Nec obstat, quod in forma Græcis ab Eugenio præscripta, ponatur dictione illa, *talis*, quia significatur determinandam esse personam baptizati per nomen proprium, aut pronomen: Nam dici potest, expressionem illam non fuisse appositam, ut omnino necessariam, sed ad majorem expressionem, & professionem accidentalem; secundum quam similior esset formæ Ecclesiæ Latinorum, quæ est omnium perfectissima.

6. Quarto dico, in forma, sive formis Chaldaeorum satis bene intelligi posse personam tam baptizantis, quam baptizati, ut implicite significatam: Cum enim, ut ante dictum est, verba, quibus formæ Sacramentorum integrantur, non sint speculativa, sed practica, & ut talis formaliter à ministro proferantur (alioquin nihil efficerent) æquippollere videntur verbis imperativis; quibus imperium agentis particularis, & determinati defertur ad passum particulare, & determinatum, non solum ea ratione, quod actiones omnes sint alicujus agentis particularis, & determinati circa passum singulare, & determinatum, sed etiam ex ipso modo significandi, quod verbo imperativo denotatur, sed importatur; ut patet in forma Græcorum utente verbo, *Baptizetur*. Cum igitur verba formæ Chaldaeorum practice, seu ut practica formaliter prolata æquivalent verbis imperativis, videtur in eis utraque persona tam baptizantis, quam baptizati, saltem virtualiter, & implicite significari.

7. Postremo dico, mihi ob dictas rationes satis probabile esse prædictas Chaldaeorum formas, ut in substantialibus sufficientes posse Summi Pontificis auctoritate, ad evitanda scandala tolerari, quod posset ex aliis formis Sacramenti Baptismi consimiles, aut etiam majores habentibus defectus significationis confirmari, quas tamen nonnulli ex præcipuis Doctoribus validas esse judicant.

8. Nam, ut definit Nicolaus Papa respondens ad consulta Bulgarorum, & habetur de consecratione *distinct. 5. can. 4.* Baptismus ab Apostolis datus in nomine Christi validus fuit eo quod implicite continebat invocationem Sanctissimæ Trinitatis; & Gloss. in *primum cap. de Baptismo*, &

ejus effectu, dicit validum etiam nunc futurum esse baptismum, si in eadem forma conferretur, quæ fuit sententia Ambrosij in *l. b. de Spiritu Sancto cap. 3.* Bedæ in *Actis Apostolorum cap. 10.* Bernardi Episcopi in *430.* Hugonis de sancto Victore lib. 2. de Sacramentis, part. 6. cap. 2. Magistri in *4. sent. dist. 3.* Adriani quest. 2. de baptismo; quam etiam videtur approbare Cajetanus in *3. part. q. 66. art. 5.* licet omnes alij Patres, & scholastici cum D. Thoma in *alleg. quest. art. 6.* oppositum teneant; quorum loca, & dicta diligenter adnotavit Suarez in *dict. art. 6. d. 21. sect. 3.* & Vasquez d. 143. Præterea Sanctus Ambrosius loco notato, censuit, baptismum datum in nomine unius Personæ Divinæ; quacumque illa sit, validum esse dummodo vera fides omnium trium retineatur; quia in una persona tres omnes virtute continentur; quod tamen D. Thomas in *d. art. 6.* reprobatur. Insuper Sanctus Bernardus loco citato affirmat baptismum datum sub hac forma: *Baptizo te in nomine Dei, & Sanctæ Crucis validum esse, quia nimirum in nomine Dei, tres omnes Divinæ Personæ implicite significantur.* Ex quibus probabilis aliquo modo reddi videtur eorum sententia, qui dicunt ad validum baptismi Sacramentum non esse necessariam explicitam, sed sufficere implicitam Sanctissimæ Trinitatis invocationem. Ex quo sequitur, multo magis esse probabile valere baptismum, in quo solum implicite significatur persona baptizata. Hæc dixi, ut iteratæ vestre petitioni satisfaciam, sub censura Sanctæ Sedis Apostolica, cujus judicio hæc, & omnia mea subijcio.

9. Hæc omnia docet Nazarius, acutè quidem excogitata, & quæ satis curiosa Lectoribus visa non dubito; Et in eorum gratiam conabor hanc sententiam ita confirmare. Hæc forma baptismi Chaldaeorum esset invalida, vel quia non exprimit personam baptizantis; vel quia non exprimit personam baptizati, vel quia actionem baptizandi significat præteritam, sed hæc omnia non obstant, ergo baptismus cum tali forma collatus erit validus. Probatum prima pars, nempe non esse invalidam talem formam, quia non exprimit personam baptizantem; Nam alioqui esset invalida forma Græcorum approbata ab Eugenio IV. in Concilio Florentino, videlicet, baptizetur servus Christi; in qua licet persona baptizati significetur in generali, seu vagè, satis determinatur ablutio practice, provt hic, & nunc exercetur circa talem personam. Nec amplius significat in rigore forma Græcorum, quam refert Florentinum; nam vox, *talis*, significat solum individuum vagum; & alij Doctores ponunt illam formam per hæc verba duntaxat: *Baptizetur servus Christi*, &c. Ubi solum in generali significatur persona baptizata. Sic docent Layman *sup. præ*, & Paulus *tom. 3. tractat. 19. punct. 5. num. 5.* quibus adde Franciscum Lugo de Sacrament. lib. 2. *capite 7. questione secunda, num. 14.* Sed in nostro casu idem accidit, quia mulier baptizata, licet vagè determinetur, satis in particulari practice per ablutionem designatur. Ergo talis forma erit licita.

10. Quod autem sit licita quoad secundam partem, non obstante quod actionem baptizandi significet ut præteritam; Probatum ex auctoritate Divi Thomæ, *ubi supra*, quia hæc verba: baptizata est, non præsupponunt rem conceptam, sed illam faciunt, & veritas dictorum verborum non supponunt rem significatam, sed intelligenda sunt secundum ultimum instans in quo terminantur.

Sup. hoc pronominè: Ego, supra ex doctrina Ref. 4. cursum in fine, §. 1. & in tom. 2. tit. 1. ex Ref. 221. §. Sed ego, nonne, verif. Et secundum. Et pro dictione. Amen, contenta in hoc textu ibid. in dicto §. Et verif.

Sup hoc latè in Ref. 19.

antur, ut in Sacramento Eucharistia illa verba. *Hoc est Corpus meum*: ut observat Serra in 3. part. Divi Thomae, *quest. 71. art. 5.* & ibi Lessius n. 14. Sed haec omnia possunt applicari in casu nostro; nam verba illa, *Baptizata est*, vel *Baptizatus est*, intelligenda sunt secundum ultimum instans, in quo à Ministro proferuntur, & in quo gratia Sacramentalis proferitur. Ergo baptismus cum tali forma collatus erit validus. Confirmatur. Nam forma Graecorum dicitur: *Baptizetur servus Christi*, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti; & tamen, ut rectè observat sapientissimus Lessius in *tertia parte Divi Thomae, quest. 66. art. 5. dub. 2. num. 18.* is qui baptizatur nondum est servus Christi, ergo illa verba (ait Lessius) non videntur verè prolata; Sed ego respondeo, quod ille talis efficitur servus Christi per Baptismum in ultimo illo instanti, quo proferitur forma, idè pro illo instanti intelligenda sunt dicta verba, licet antea prolata, & idè optimè vocatur servus Christi. Sic & in casu nostro dicendum est, verba illa, *Baptizatur est*, vel *Baptizata est*, non esse falsa, nec tempus præteritum respicere, sed ultimum instans, in quo terminantur verba formæ, & in quo verè dicitur, *Baptizata est*, vel *Baptizatus est*. Itaque in casu nostro dicendum est, quod Ministri Chaldaei utuntur verbo illo actum ablutionis significante, prout modum habet imperantis, cum significet actum ablutionis, ut excurrentem à baptizante, & ut directum ad singularem illam personam; quæ actu abluatur à Ministro; & cum invocatione Sanctissimæ Trinitatis videtur legitima.

11. Sed his minimè suffragantibus, ego puto non esse admittendam sententiam Nazarij, ex rationibus superius adductis, & stante praxi, Declaratione, seu Traditione Ecclesiae, quæ ita interpretavit verba illa Matth. ultim. *Baptizantes eos*, &c. ubi profecto personæ, quæ erant baptizandæ fuerunt expressæ. Vide Dicastillum cuius verba adducam in sequenti Resolutione. Deinde Nazarius pro firmanda sua sententia admittit tanquam probabiles aliquas opiniones, quas communiter Doctores tanquam improbabiles refellunt; & idè vide Tannerum *tom. 4. disputatio. 4. questione 1. dub. 3. num. 91.* & alios ubi *supra*. Ergo, &c.

12. Nota hic obiter Eminentissimum Cardinalem de Lugo, in *Respond. Moral. lib. 1. dub. 3.* per totam latè disputare; An sit valida forma baptismi, qua utuntur in Dalmatia, Ego te Christianum facio, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti; & ejus doctrinæ ego adhareo.

RESOL. LXI.

An forma baptismi in Ecclesia Græca sit ista? *Baptizetur*, vel *Baptizatur servus Christi*, &c.

Et difficultas est, an validè in utraque forma baptizetur?

Et an in ipsis formis exprimendum sit nomen suscipientis baptismum in particulari?

Ex quo deducitur baptismum apud Græcos factum sine expressione personæ baptizate per nomen, aut pronomem esse sub conditione irrandum.

Et an ita baptizans sine expressione personæ & nominis baptizati peccet mortaliter. Ex parte de Tom. I.

cima, tractatu decimo sexto, & Miscell. 6. Resolut. 93.

§. 1. **E**st hanc ultimam observat ex Filliucio, Pater Gesvaldus in *Theolog. moral. tom. 1. tract. 1. cap. 5.* ubi sic ait: Notandum, quod Græci non dicunt, (ut aliqui putant) *Baptizatus est*, id est, *Baptizetur* per subjunctivum (ur quidam Latinorum existimant) sed dicunt *Baptizetur*: id est, *Baptizatur*, per modum Indicativum temporis presentis; ita enim habetur in Rituali Græcorum, quod bene admittit Filliucius *tom. 1. tr. 2. de baptism. c. 3.* & alij.

Sup. contentis in hac Res. lege latam doctrinam Resol. præteritæ.

2. Et hæc forma sufficiens est ad perficiendum verum Sacramentum, secundum omnes ut patet per Concilium Florentinum, in decreto Eugenij, & ex usu antiquissimo Ecclesiae Græcæ; Unde credibile est, eam accepisse à Sanctis Patribus Episcopis Catholicis, qui consueverunt ita baptizare, ne Ministri viderentur sibi arrogare efficaciam Sacramenti; & illius schismatis occasionem fugerent, cujus fit mentio *Epistol. 1. ad Corinth. cap. 3.* Quando unusquisque de suo Ministro Baptismi gloriabatur dicens: *Ego sum Pauli, ego Cepthæ*. Quapropter increpavit eos Paulus dicens: *Nunquid in nomine Pauli baptizati estis?* Et sic introducta fuit hujusmodi forma, quæ in essentialibus non differt à forma Ecclesiae Latine; nisi tantum materialiter. Ita Gesvaldus: cui adde Eminentissimum Dominum meum Cardinalem Lugo de *Sacrament. in genere disp. 2. sect. 6. num. 42.* & Petrum à Sancto Joseph. in *Theol. Sacram. cap. 9. resol. 4.*

3. Verùm alij asserunt, formam baptismi Græcorum esse, baptizetur servus Christi. Et ita docet novissimè Franciscus Lugo ubi *supra*, Nazarius *tom. 8. opusc. 3. cas. 1.* Trullench. de *Sacram. lib. 2. cap. 1. dub. 4. num. 2.* Martinon de *Sacrament. tom. 4. disp. 23. sect. 2. num. 17.* & alij communiter. Difficultas est, An validè in utraque forma baptizetur, & negativè respondet Hurtadus, de *Sacrament. Baptism. disput. 1. diff. 8.* ubi sic ait: Unde in forma Græcorum, baptizetur talis servus Christi, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, neque subintelligi, à Christo, vel à Deo, sed à me, quia baptizans loquitur secum, quasi cum altero, uti non raro fit. Et id denotatur verbo illo Imperativi, baptizetur, quia eo ipso quod imperativè baptizat, dicendo, baptizetur, denotat se habere potestatem ad baptizandum, & esse qui baptizat: quia si eam potestatem non haberet, ineptè diceret, baptizetur, quia imperare proprium est habentis potestatem. Dirigitur autem dictum imperium non ad effectum ipsum, quia effectus non significatur à verbo, baptizetur, quia in primis non significatione verbali, quam habet ex hominum impositione, ut patet, nec significatione sacramentali, quia hæc significatio convenit toti formæ, & toti materiæ proximè indivisibiliter; sed dirigitur ad ipsummet Ministrum actu exercentem actum baptizandi, non imperium strictè, & propriè, sed latè, & impropiè, quod solum potest eo verbo significari, ad quemcumque dirigitur. Qui autem baptizatur absque imperio, dicendo, baptizatur talis servus Christi, vel baptizaris, non denotaret eum Baptismum ab ipso procedere, quia non baptizatur imperativè, nec proferendo aliquid, quod id denotetur, ac proinde invalidè baptizaret. Ita ille.

